



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De habitibus entis spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

improportionatus esse potest; nimirum si nolit cum eo concurrere ad claram sui visionem. Deinde dici potest, speciem institutam esse ad supplendum concursum per modum obiecti, si obiectum immediate non concurrat propter distantiam, siue propter improportionem, siue etiam quia renuit concurrere; utcumque hæc nolitio concurrendi improportio ab aliquibus minimè appelletur.


10 Arguunt sexto alij, concursum Dei per modum obiecti ad claram sui visionem esse ei tam connaturalem, & debitum; ac concursum per modum causæ vniuersalis: hunc autem ab eo nulli creaturæ delegari posse: aliàs dominium de medio tolleretur: data enim illa hypothese, non posset impedire operationem causæ creatæ per suspensionem sui concursus vniuersalis, utpote quem alicui qualitatè iam delegasset: igitur causa creatæ ea qualitate effecta, etiam renuente Deo necessarîo operaretur. Quemadmodum ergo nequit dari qualitas supplens concursum Dei instar causæ vniuersalis, quia nimirum eius dominio derogaret; ut dictum est; ita similem ob causam non poterit admitti qualitas eius concursum obiectiuum, & particularem in visionem sui, adeoque nec species impressa, qua videri possit. Respondeo primò, dari posse qualitatem creatam, quæ, non obstante diuini dominij perfectione, eius concursum per modum causæ vniuersalis saltem inadæquatè suppleat: Deus enim ratione concursus vniuersalis inadæquati, quem sibi reseruaret, causam creatam etiam ea qualitate instructam ab operando cohibere posset: quidni ergo dari possit etiam qualitas creatæ, quæ suppleat saltem inadæquatè concursum Dei per modum obiecti, & causæ particularis? eiusmodi autem qualitas species esset. Respondeo secundò fortassis dari posse qualitatem quæ suppleat etiam adæquatè concursum Dei per modum causæ vniuersalis ad aliquem destinatum effectum, ad quem tanquam causa particularis Deus concurrat: hoc enim posteriori concursu in se translatò, siue, si proprius ac debitus est, reseruato, eius vi poterit existentiam effectus impedire, si velit, ac proinde illi absolutissimè dominari. Simili ergo ratione perfectissimum Dei dominium stare poterit admissa: siquidem impedire poterit claram visionem sui in eo euentu, licet non per modum causæ particularis, aut obiectiuæ, ac saltem per modum causæ vniuersalis: cur ergo eiusmodi species totum etiam concursum obiectiuum supplens repugnet, attento dominio Dei?

11 Septimum argumentum contrarium est huiusmodi. Deum concurrere per modum causæ vniuersalis ad claram visionem sui, & concurrere ad illam per modum obiecti omnino aequipollent, cum fieri nequeat, ut Deus tanquam causa vniuersalis visionem sui efficiat, quin eius obiectum sit: ac repugnat qualitas supplens concursum Dei per modum causæ vniuersalis in eius visionem: ergo & qualitas supplens illius concursum per modum obiecti; ac proinde species impressa illius intuitiua. Ita argumentatur sapientissimus P. Lucas Guadin supremi Senatus Inquisitionis Centor, & in Salmanticensi Academia pro Societate nostra Theologiæ primarius quondam professor: vir iudicii maturitate, ingenij acumine, religiosa motum grauitate, summaque apud Principes viros auctoritate clarus, ac celebratissimus siquis alius. At pace tanti viri argumentum superius, cuius primus fuit Auctor non vno modo solui potest. Atque in primis dici potest non repugnare qualitatem, quæ suppleat inadæquatè

R.P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

concursum Dei per modum causæ vniuersalis in claram visionem sui iuxta ea, quæ nuper diximus. Deinde falsum est, in idem coincidere concursum Dei per modum causæ vniuersalis in intuitum sui, & concursum per modum obiecti: nam intellectus noster in hac vita non concurrat immediate per modum obiecti in notitiam saltem abstractiuam sui, utpote ad quam media specie impressa à se distincta etiam iuxta aduersarios obiectiuè concurrat, & tamen ad eam concurrat velut obiectum per ipsam cognitum: ergo concurrere per modum obiecti ad aliquem actum non est concurrere utcumque ad actum, per quem potentia cognoscatur: atque adeò quamuis Deus tanquam causa vniuersalis concurrat ad visionem, cuius sit obiectum cognitum, non propterea concursus causæ vniuersalis, & concursus causæ obiectiuæ in eo coincident: quapropter nisi nominibus ludere velimus, concurrere Deum per modum obiecti ad visionem sui est concurrere per modum causæ particularis, eo influxus genere, quo cetera obiecta ad actus suos concurrunt: ac concursus ille per modum causæ particularis non coincidit cum concursu per modum causæ vniuersalis: ergo nec concursus per modum obiecti.

Tandem alij opponunt, Deum concurrere libere per modum obiecti ad claram visionem sui, eiusque quasi speculum voluntarium esse: hunc enim concursum esse magis perfectum, Deoque dignum: at ea ratione non concurreret, si per speciem impressam videretur: posita namque tali specie non posset non concurrere per modum obiecti ad claram visionem sui, & facta ea suppositione tantum posset non concurrere per modum causæ vniuersalis: hic ergo posterior concursus, non vero ille prior ei liber maneret. Respondeo, suppositionem illam speciei impressæ non fore anteriorem determinatione diuinæ voluntatis, sed potiùs eam subsequutam: unde concursus per modum obiecti media eiusmodi specie exhibitus determinationis diuinæ voluntatis, Deique dominio, & libertati subesser: atque adeò per denominationem ab actu diuinæ voluntatis liber, atque indifferens esset. Quod si aduersarij in concursu obiectiuo Dei libertatem immediatam, & formalem exigunt, manifestè hallucinantur: nam concursus ille est actio transiens, quæ vel iuxta ipsos immediatè libertatis incapax est. Sed de hac questione latius in Theologia.



TRACTATUS II.

De habitibus entis spiritualis.

CAPVT I.

An aliqui habitus admittendi sint?

12 **I**SSIS variis habitus significationibus, quas ex Aristotele 3. metaphys. cap. 23. & in predicament cap. de modis habere, aliqui vsque ad fastidium inculcant; habitus, de quo modo agendum est, significat facilitatem permanentem, ac stabilem exercitio vnius, vel plurium actuum ad alios similes eliciendos generatam: appellatur facilitas, ac promptitudo, quia sine eo valet potentia simpliciter operari, licet non adeò facile, ac promptè: dicitur autem generari per vnum, aut plures actus, quia antecederet ad omnem actum facilitas, habitus nomine vsurpata, nunquam

Pp 3

nunquam

nunquam ex natura rei haberi potest. Tandem dicitur permanens, ac stabilis, ut ab actibus ad alios actus haud raro facilitatem, ac promptitudinem instabilem tamen, ac minime fixam conferentibus fecernatur. His suppositis, habitus in intellectu, quales modo explicuimus, negant aliqui Thomistae cum Soncinatate quinto metaphys. quaestione nona. Item Hurtadus disputatione decimasexta de anima, sectione 2. Ariaga disputatione nona de anima, sectione secunda, subsectione prima, Quiedo controuers. 16. de anima puncto secundo, s. secundo numero decimosexto. Opponunt autem primo S. Thomam quaestione 8. de potentia Dei articulo 1. corp. ubi sic loquitur: *Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem: scilicet ad rem, quae intelligitur: ad speciem intelligibilem, quae fit intellectus in actu: ad suum intelligere: & ad conceptionem intellectus &c.* hac autem conceptio intellectus in nobis proprie Verbum dicitur. Sentit ergo Sanctus Doctor, quidquid est in intellectu praeter potentiam intellectiuam esse, aut rem intellectam, aut actum intelligendi, aut speciem intelligibilem, aut Verbum, seu conceptionem mentis. Habitus ergo non solum praetermisit, sed etiam negauit. Opponunt secundo, omnes experientias, quibus habitus dari in intellectu docemur, optimè explicari posse, si quas experimur facilitates exercitio plurium actuum comparatas, in maiorem, aut minorem intensiorem, ac claritatem specierum intelligibilium reuocemus: habitus ergo intellectuales à speciebus distincti superfluent. Tertio opponunt, potentiam necessariam non esse capacem habituum, quibus ab operandum faciliteretur, & expediretur: potentia enim necessaria non potest non operari: nulla autem facilitas, aut inclinatio maior excogitari potest, quam summa determinatio rei ad operandum, omnem omnino potentiam non operandi excludens: potentia ergo necessaria per seipsam summè facilis, ac prompta est; ac proinde facilitatis habitualis sibi superadditae omnino incapax: at intellectus est potentia necessaria: ergo, &c. Opponunt quarto: si in intellectu darentur habitus non obstante eius necessitate, ac determinatione ad vnum in operando, etiam darentur in lapide, vel quouis alio agente naturali ad motus, & operationes sibi congruas: consequens autem ridiculum est. Tandem opponunt, inexplicabilem esse concursum habitus proprium, eumque nec per modum causae efficientis, nec per modum causae directivae esse posse.

2. Contrariam tamen sententiam communiter nostri ruentur cum P. Suarez disputatione 44. metaph. sectione 4. item nobiliores Thomistae cum Capreolo, Caietano, & Ferrara, quibus ipse acquiesco: quia experimur repetitione plurium actuum scientiae, verbi gratia, non maiorem facilitatem, ac promptitudinem ad alios similes comparare: at eiusmodi facilitas refundi nequit in species, ut aduersarij putant: ergo in habitus intellectuales ab iis distinctos. Maior in propatulo est. Minor suadet, primo: quia fortassis, nullae dantur species intentionales, & impressae, quales communiter adstrui solent. Secundo, quia iis permissis disputandi gratia, facilitas per quam intellectus sciens, aut sapiens, aut inscius, vel inspiens redditur, in illis sita esse nequit: nam habitus intellectualis, sicut & quouis alius, nunquam ex natura rei supponi potest ad primum actum, & semper ex aliquo actu oriri debet, ut docet Aristoteles 9. metaphysic. capite quinto, & capite octauo, & experientia aperte constat. At species impressa primum actum intellectus necessariò non

supponunt, sed potius ab eo supponuntur. Rursus habitus non est necessarius ad simpliciter operandum, quinimo sine eo valet potentia absolute operari, ut etiam experientia testatur: at species impressae proprie sumptae ad intelligendum necessariae sunt. Præterea habitus intenditur physice per actus, quos producit: at species impressae intendi nequeunt per actus intelligendi, qui ab iis oriuntur: ergo, &c. Maior est aduersariorum, nec nisi experientia refragante negari potest. Minor suadet, quia nullus actus intendere potest principium, à quo habet simpliciter posse esse: quia ratione iuxta omnes Theologos actus supernaturales physice non intendunt habitus supernaturales infusos. sine quibus simpliciter esse nequeunt, etsi moraliter, ac meritò intensiorem, & augmentum illis conferant; & quia etiam ratione calidum ut duo per duos caloris gradus à se productos naturaliter non intenditur: at species impressae proprie sumptae sunt principia necessaria ad intelligendum; & ea, quibus omnis intellectio habet non solum facile, sed etiam simpliciter posse esse: ergo per actus intelligendi physice intendi nequeunt. Tandem species impressae, si semel admittantur, loco obiecti in actum influunt: ergo non poterunt minuere conatum, atque influxum potentiae; aliàs iam non tantum loco obiecti, sed etiam loco potentiae concurrent. Quamuis autem fieri possit, ut eademmet qualitas loco vtriusque concurrat, atque vtriusque vices gerat; id tamen de facto admittendum non est: eiusmodi enim munera longè diuersa sunt, & absque necessitate in eandem qualitatem congeri non debent. Quod si quis pertinaciter contendat, ita etiam de facto se rem habere, is quidem non habitus negabit, sed eos cum speciebus confundet: haud aliter ac si quis eundem modum, actionem, durationem, vbi actionem, passionem, & cognitionem confingeret. Tum sic: facilitas intellectualis ad aliquos actus in eo sita est, quod conatum intellectus insinuat, & cum eo partialiter concurrat, vicesque illius ex parte gerat: igitur talis facilitas in species refundi nequit.

Ad primum aduersariorum argumentum respondeo, Beatum Thomam non meminisse habituum loco adducto, eo quod illos nomine specierum intelligibilium comprehenderit: species enim, non quales aduersarij fingunt, sed potius ab habitibus omnino indistinctas agnouit. Ad secundum argumentum respondeo, eius antecedens falsum esse, ut ex nostrae sententiae probatione liquet. Ad tertium respondeo, non consistere facilitatem habitus propriam in maiore determinatione principij ad operandum ab habitu proueniente: ita enim potentia necessaria, & summè determinata habitu non egeret, sed consistere in eo, quod potentia habitu instructa minori conatu in effectum insinuat, suamque virtutem in eius productione omnino non exhauriat, sed potius eam ad hos effectus magis integram seruet: hac autem ratione non est, cur potentia omnino necessaria, cuiusmodi est intellectus, habitu vti, eiusque vtu egere nequeat. Ad quartum respondeo, lapidem, verbi gratia, non propterea habitibus carere, quod agens necessarium, ac naturale sit, sed quia nullis experientiis ad habitus ei assignandos cogimur: quinimo experimur eum nullis habitibus instructum esse: & si enim milles in centrum deliciatur, non propterea maiori facilitate, & velocitate centrum petet: & si etiam milles sursum proiciatur, tot motuum exercitio nullam assuetudinem comparabit ad hoc, ut sursum feratur, ut egregie docet Aristot. 2. ethic. cap. 1. his verbis:

Nihil

Nihil enim eorum, quae sunt natura, aliter assuescit: ut lapis, cui quidem natura competit ferri deorsum, nunquam assuescit ferri sursum, neque si millies ipsum assuescendi causa sursum quispiam prouideret: simili modo nec ignis ferri deorsum, nec aliud quidpiam aliter quam sibi natura competit, assuescet. Ad postremum argumentum infra constabit.

4 Parisiensis libro 1. de fide, & legibus fol. 11. Maior in 4. dist. 4. & alij, quos suppressis nominibus memorat Palacius in 3. dist. 23. disp. 1. omnes habitus præter infusos, de quibus non agimus, tam intellectui, quam etiam voluntati denegant. Aliqui etiam Nominales cum Ochamo, & Gabriele, licet intellectui habitus largiantur, ad eos tamen voluntati negandos valde propendunt. Mouentur autem, quia actus supernaturalis non generant habitus supernaturales, sed eos infusos supponunt: ergo etiam actus naturales voluntatis habitus naturales a speciebus distinctos minime generantur. Hinc tamen argumento cap. sequenti satisfit. Nouentur secundo, quia species impressæ mediis cognitionibus, quas dicunt, sufficienter voluntatem inclinare, & facilitare possunt: habitus ergo distincti superfluent. Verum huic etiam argumento, & aliis similibus factum est satis, cum de habitibus intellectualibus nuper ageremus. Contrariam ergo sententiam amplector: tum quia inter scholasticos multo magis communis est: & si nuper relatos excipias, reliquorum omnium suffragio firmatur. Tum etiam quia eadem argumenta, quæ habitus in intellectu probant, in voluntate parem vim habent, si recte adhibeantur. Tum demum, quia id habet peculiare voluntas præ intellectu, & quauis alia potentia necessaria, ut sit indifferens ad hoc obiectum, vel illud amplectendum, etiam in sensu composito earundem specierum: ergo ad hanc indifferentiam inclinandam, & quodammodo determinandam habere debet aliquam facilitatem, quæ cum in speciebus consistere nequeat, habitus quidem esse debet, qualem superius exposuimus. In appetitu etiam sensitivo hominis habitus inesse docent cum Aristotele 1. Ethicor. cap. vii. & 3. Ethicor. cap. 3. & B. Thoma 1. 2. quæst. 50. art. 8. plerique Philosophi, & Theologi: quæ vero in huiusmodi habituum impugnationem, & propugnationem argumenta adduci possunt, non alia sunt præter ea, quæ nuper examinauimus. Pari etiam ratione phantasiam, siue cogitationem hominis habitibus præditam esse cum Aristotele, & B. Thoma ubi supra art. 4. dicendum est. Quod autem ad appetitum sensituum, & phantasiam beluarum attinet, me iudice negari nequit, suas illis inesse facultates stabiles, seu permanentes: tum quia disciplinæ capaces sunt, & plurium actuum exercitio aliis similibus assuescunt, eosque postea facilius, promptius, & maiori cum dexteritate exercent. Tum etiam, quia species præteritorum habent, quas tamen non sicut vulgo explicari solent, sed ab habitibus indistinctas esse cap. præcedenti statuimus, nisi natura subiecti obstat. Cæterum tales facultates beluinarum habitus appellari non debent: eo nimirum quod omnis, & quauis facultas permanens habitus dici solet, sed ea præcisè, quæ vel dominio rationis subdita, vel certe cum eo coniuncta est.

C A P V T II.

De habituum causalitate, causâ, & supernaturalitate.

5 Quid attinet ad causalitatem, rationemque fluendi habitus cuiusvis propriam: Aureolus, & Durandus censent, habitum non efficienter, sed dispositiue ad actus suos concurrere. Primo, quia intellectus, aut voluntas videtur sufficiens causa effectiua suorum actuum. Secundo, quia, iuxta omnes, habitus propriè sumptus aliter concurrunt, ac potentia, & habitus supernaturalis instar potentia habens. Tertio, quia actus producit habitum: ergo non è contrario: sic quia lux producit calorem, calor lucem inuicem non producit. Quarto, quia nihil est in actu, quod habitus efficiat: non enim substantia actus, ad quam sufficit potentia, non modus aliquis, ut inferius constabit. Verum B. Thomas cum asseclis, Ochamus cum suis, Suarez, Almainus, & alij docent habitum efficienter concurrere ad suos actus. Primo, quia nequeunt concurrere in genere causæ formalis, aut materialis, ut constat, nec in genere causæ finalis, seu directiue, cum solius cognitionis, & amoris proprium esse videatur hac ratione concurrere: igitur in genere causæ efficientis: nisi quis dicat eum concurrere præcisè remouendo impedimentum aliquod prohibens actum: siue per modum conditionis sine qua non: & hoc falsum est: nam sæpè acquirit quis paulatim vnum habitum, quin præextiterit in eo contrarius habitus, cuius impedimentum auferat: ut si quis absque eo, quod iniustus esset, habitum iustitiæ, aut è contrario acquireret. Secundo, quia si habitus non efficienter, sed directiue, & per modum inclinantis potentiam, ad eius operationem concurreret: sanè nihil aliud esset respectu potentia, quam quædam preces illam sollicitantes, ut exeat in actum: hoc autem omnino falsum est: aliàs enim eiusmodi facilitatem habitualement semper quis sentiret, esto actu non operaretur, neque etiam opera cogitaret: tunc namque qualitatem illam precariam, & habitualement, quasi illecebram haberet: hoc autem cum experientia repugnet, dicendum est, facilitatem potentia ab habitu prouenientem in minori eius conatu, & efficacie consistere: hoc enim dato, ante ipsam operationem actualem, operandi facilitatem nunquam experiemur.

6 Ego, tamen si utramque sententiam probabilem arbitror, haud parum tamen inclinor ad distinguendum inter habitus potentia intellectiua, habitusque potentia volitiua; & his concursum solum directiuum, illis concursum effectiuum assignandum. Ratio huius discriminis est: quia potentia intellectiua cum necessaria sit, ac summe determinata ad suum actum, neutiquam eget habitu, per quem ulterius determinetur, sine cuius directione amplius inclinatur: vnde non nisi ut eius concursus effectiuus minuatur, habitum admittet, ut supra dicebamus: at habitus concursum effectiuum intellectus minuire nisi efficienter concurrente nequit. Hac autem ratio non militat in habitibus voluntatis, quæ est huius libertas vnde non nisi directiue concurrent ad suos actus: nulla enim est necessitas concursus effectiui, & maioris: quo argumento cognitionem non efficere amorem, aut præmissas conclusionem, aut intentionem etiam electionem sæpè probauimus.

7 Ad primum argumentum pro sententia Aureoli, & Durandi respondeo intellectum esse causam effectivam sufficientem suorum actuum, sed præsentem habitu concursum suum temperare, ut sæpe sæpius accommodatè rerum naturis aliis etiam vluenit. Ad 2. respondeo, licet habitus efficienter concurrat non minus quam potentia, & habitus supernaturalis; cum tamen non ad simpliciter posse, sed ad facile posse nec ad primum actum, sed ad sequentes necessarium esse, atque his nominibus eius concursus quoad modum differre à concursu potentia, & habitu supernaturali. Ad tertium respondeo, actum iuxta plures non efficere habitum, & è conuerso: quid enim interest hoc non solum in causis vniocis, sed etiam in æquiuocis aliquando euenire; præsertim cum non pauci doceant, dispositiones accidentales ad formam substantialem ignis, cum primo produci-tur, eam adæquatè, vel inadæquatè efficere, ab ea vero in sequentibus instantibus efficienter illas conferuari. Ad quartum variè respondent: alij enim cum Godofredo docent, habitum efficere actum quoad modum intensiōis ab eo realiter distinctum, non vero quoad eius substantiam: alij vero cum Henrico, & B. Thoma docent, eum concurrere ad modum facilitatis actui superadditum: neutra tamen solutio satisfacit; tum quia si quis me ad lapidem portandum iuuare veller, & non lapidem ipsum, sed aliquid ei adiacens, & ad latus existens mecum portaret, haudquaquam me iuuaret, aut alleuaret: similiter ergo habitus, si non ab substantiam actus, sed ad modum eius realiter distinctum concurrat, non poterit potentiam iuuare, aut alleuare ad hoc, ut substantiam actus producat. Tum etiam, quia intensio actus ab eius substantia non distinguitur: facilitas etiam est denominatio extrinseca actui à potentia magis inclinata, & expedita proueniens: perperam ergo substantia actus potentia, & modus intensiōis, vel facilitatis habitui assignatur. Ad primum argumentum pro secunda sententia respondeo, hoc, quod est dirigere, non tantum cognitionis, & amoris actualis, sed etiam habitualis proprium esse: & hos mortuo modo, illos vero virali modo dirigere, & allicere. Ad secundum respondeo, multoties non sentiri facilitatem habitualemente ante operationem, non quia illa facilitas in conatu actuali, & concursu effectiuo potentia, & habitus consistat; sed quia vel in concursu directiuo consistit, vel quia haud raro ad alia obiecta distrahimur, vtrū facilitas habitus propria in solo ipso consistat.

8 Quod spectat ad causam, à qua efficienter produ-citur habitus omnis, aliqui cum Durando, & Buridano tenent, eum effici à sola potentia: alij vero cum B. Thoma malunt, eum effici adæquatè à solo actu: quamuis autem hæ sententiæ sint probabiles, paulo tamen probabilius mihi videtur, habitum effici tam à potentia, quam ab actu: quod enim non fiat à sola potentia probatur: tum quia absque fundamento negatur actui efficacia in habitum, quem quasi semen alterius actus sibi similis in potentia relinquit: tum etiam, quia actus si non est causa effectiua habitus, vel est actio productiua illius, ut vult Buridanus: & hoc falsum est; quia alias Deus posito actu habitum supernaturaliter impedire non posset: aut actus est mera dispositio potentia ad habitum recipiendum, ut vult Durandus: & hoc non minus à vero abhorret: alias non posset conservari naturaliter habitus sine actu, dependenter à quo generatur, sicut forma ignis sine dispositionibus præuiis ex natura rei conservari nequit. Quod autem habitus non fiat à solo actu

suadetur: quia potentia se sola, atque in absentia actus adæquatè conservat habitum: quidni ergo ad primam eius productionem virtutem effectivam habeat, quamvis ob consortium actus eam attemperet, ac moderetur. Antecedens autem constat: alias conservatio habitus vitiōsi in Deum refundi deberet, tanquam causam particularem loco actus vitiōsi substitutam.

Quod demum attinet ad supernaturalitatem habituum, dubitabis tertio, an dentur aliqui habitus acquisiti supernaturales? Respondeo affirmatiue cum P. Hurtado, Arriaga, & aliis: cur enim actus naturalis temperantiæ habitum generet eiusdem secum ordinis, & non actus supernaturalis temperantiæ, qui longe perfectior est? Rursus exercitio actuum supernaturalium aliqua facilitas ad alios similes comparatur, ut experientia non vnius quidem hominis, sed aliquorum indeterminatè, quos Ecclesia iustos esse constat, perspicuum est: at non facilitas naturalis: ergo supernaturales. Obiciunt tamen primo alij oppositum existimantes: actus supernaturales temperantiæ, v.g. supponere habitum infusum supernaturalem temperantiæ: supponit enim gratiam habitua-lem in iusto: simul autem cum gratia habituali primo infusa habitus omnium virtutum supernaturalium, tam moralium, quam Theologicarum primo infunduntur, & simul etiam cum augmento meritorio gratia habitus infusi virtutum omnium meritorie augentur, & intenduntur: cum ergo actus supernaturalis temperantiæ habitum supernaturalem temperantiæ supponat, ad quid alium generabit: id enim erit actum agere. Respondeo, habitum supernaturalem infusum temperantiæ ad eius actum præsuppositum esse non eiusdem, sed diuersi ordinis ab habitu supernaturali temperantiæ acquisito: alter enim dat simpliciter posse, alter facile posse: alter est potentia quadam supernaturalis, alter verò, non potentia, sed proprie habitus: unde supposito priori, posterioris acquisitio, & generatio superuacanea erit. Obiciunt secundo: peccator simul cum gratia omnes habitus supernaturales amittit: à Concilio namque Tridentino definitum est, præter spem, & fidem nullum habitum supernaturalem in pœnam peccati non deperdi: at non amittit facilitates illas, quas plorū actuum supernaturalium repetitione acquisiuit: eiusmodi enim facilitates non oriuntur à gratia habituali, sed ab industria propria eius, qui illas paulatim comparauit, nec sunt passionēs gratia, cum hæ sine illis esse queant: pereunte ergo gratia perire non debent: penitent autem, si darentur, cum sint habitus supernaturales. Respondeo, Concilio Tridentino sermonem fuisse de solis habitibus infusis, qui gratia deperdita naturam imitantur, non vero de habitibus acquisitis:

quare maiorem argumenti non
nisi cum distinctione
veram esse.